

mali; ergo peccata commissa ante susceptum hunc characterem non sunt materia illius sacramenti. Unde Concil. Trident., sess. 14, cap. 1, absolute docet, sacramentum poenitentiae institutum esse ad remittenda peccata post baptismum commissa, et reconciliandos fideles post baptismum lapsos, et cap. 2, et sequentibus, eandem doctrinam saepe repetit.

5. *Peccata ante baptismum commissa non sunt materia sacramenti poenitentiae.* — Ex hoc ergo principio colligitur (cum eodem Concilio, eadem sess., cap. 5), peccata ante baptismum commissa, quamvis in baptismo non sint remissa, neque ullo modo detestata, non esse postea necessario confitenda, quia non sunt materia illius sacramenti; si ergo in ipsa susceptione baptismi nihil peccatum sit, nihil oportebit confiteri eorum quae praecesserunt; si vero novum sacrilegii peccatum commissum sit propter fictionem, ortam fortasse ex complacentia alterius peccati prioris, aut ex carentia attritionis ejus, ad summum confiteri oportebit, indigne suscepisse baptismum (ut dicetur conclusione tertia), non tamen oportebit explicare peccatum non detestatum, cujus occasione fictio fuit posita; nisi fortasse aliquando id sit necessarium ad explicandam circumstantiam aliquam ipsius sacrilegii mutantem speciem, vel notabiliter aggravantem, quod raro, aut nunquam potest contingere; et multo minus erit necessarium confiteri alia peccata ante baptismum commissa, quamvis contrarium sine fundamento doceat Paludanus loco allegato. Unde infertur ulterius, illud septimum peccatum (ut cum Scoto loquamur) ante baptismum commissum, et in ipso baptismo nullo modo detestatum, per baptismum remitti; nam in lege nova nullum peccatum mortale remittitur, nisi per sacramentum baptismi, aut poenitentiae, in re, vel in voto; sed illud peccatum non remittitur per sacramentum poenitentiae, cum non sit materia ejus, ut ostensum est; ergo remitti debet per sacramentum baptismi.

6. Ex quo ulterius concluditur, ad illius remissionem non esse necessariam contritionem, sed attritionem per se sufficere, id est, seclusis aliis extrinsecis impedimentis et rationibus, de quibus in sequentibus assertionibus dicendum est. Probatur, quia attritio est per se dispositio sufficiens cum baptismo ad remissionem peccati; sed peccatum illud tollitur per baptismum; ergo ad hoc, per se loquendo, sufficit attritio. Unde tandem contra Scotum inferre possumus, nullam esse ne-

cessariam satisfactionem hujusmodi peccati, quia, cum per baptismum deleatur, simul quoad culpam et quoad omnem poenam remittitur, ablato obice, quia baptismus, recedente fictione, incipit habere effectum suum, non solum quoad remissionem culpae, sed etiam poenae, ut in superioribus ostensum est. Quocirca etiamsi contingat, peccata ante baptismum commissa, esse conjuncta cum aliis commissis post baptismum, et recedente fictione omnia deleri medio actu poenitentiae, qui per se non sufficeret ad satisfactionem pro omni poena, nihilominus priora peccata omnino debebuntur, quoad omnem poenae reatum, licet de posterioribus maneat aliquis reatus poenae temporalis, quia in hoc reatu poenae temporalis delendo non est necessaria connexio; sed potest optime auferri reatus poenae temporalis respondens uni peccato, manente reatu qui alteri peccato respondet; ex hac ergo parte non est repugnantia; et alioqui baptismus habet totum effectum suum, si ex parte subjecti non repugnet; delebit ergo omnino priora peccata, quamvis posteriora non prorsus tollantur quoad reatum poenae temporalis.

7. *Ad tollendam fictionem necessaria est contritio, si post baptismum commissum est aliquod mortale.* — Dico secundo: si post baptismum susceptum aliquod peccatum mortale commissum est necessaria erit contritio ad tollendam fictionem, et recipiendum effectum baptismi, sive in ipsa susceptione denuo peccatum sit, sive non. Loquor de contritione per se ac praecise considerando internam hominis dispositionem, ut separatam ab omni alio sacramento; nam de hoc dicemus conclusione quarta. Hanc conclusionem significat Scotus paulo antea citatus, et Paludanus in 4, dist. 4, quaest. 5, n. 24; clarius Durandus, quaest. 4; Soto, et alii. Et probatur ratione, quia illud peccatum, quod post baptismum commissum est, non potest per baptismum deleri, ut supra dictum est, et constat ex Concil. Trident., sess. 7, can. 10, et tota sess. 14; ergo non potest sola attritio sufficere ad illud peccatum tollendum, quia attritio per se non sufficit ad tollendum peccatum, nisi cum aliquo sacramento; hic autem non concurrat cum attritione baptismus ad tollendum hoc peccatum, ut ostensum est; neque etiam concurrat aliud sacramentum, ut supponitur; non ergo satis est attritio, ut tollatur illud peccatum; ergo neque etiam erit satis, ut tollatur fictio, et redeat effectus bap-

tismi. Probatur ultima haec consequentia, quia non potest tolli unum peccatum mortale sine alio; et consequenter nec dari potest effectus gratiae baptismalis absque remissione peccatorum omnium mortalium, sive ante, sive post baptismum commissa sint. Et confirmatur haec ratio, nam si quis post baptismum digne susceptum mortaliter peccet, licet postea atteratur, non ei satis erit, ut remissionem illius peccati consequatur, ratione baptismi prius suscepti, quia baptismus non habet efficaciam circa tale peccatum; ergo multo majori ratione non sufficet sola attritio ad remittendum simile peccatum, ratione baptismi prius indigne suscepti; ergo neque etiam sufficet ad gratiam baptismalem et remissionem aliorum peccatorum obtinendam.

8. *Obiectio.* — Sed objiciet aliquis contra positam conclusionem, et rationem ejus; nam, licet baptismus per se non sit institutus ad tollenda peccata post baptismum commissa, tamen interdum necesse est, ut per accidens, et propter necessariam concomitantiam ea tollat, ut postea dicemus, quia non potest unum peccatum remitti sine alio; et ideo, si peccata antecedentia baptismum conjuncta sunt cum peccatis postea subsecutis, ut illa tollantur, necesse est, haec etiam concomitanter tolli; ergo hoc modo potest baptismus tollere peccatum, post se susceptum, commissum; sicut sacramentum poenitentiae non est per se institutum ad delenda peccata non confessa, vel propter oblivionem, vel propter aliam rationabilem causam; et tamen per concomitantiam illa delet, quia non possunt tolli peccata confessa, quin alia etiam tollantur; ergo illa dispositio, quae sufficit, ut baptismus deleat peccata prius commissa, quae per se, et ex propria institutione remittit, nimirum attritio, sufficet etiam ut concomitanter deleat peccata, quae cum illis inventi conjuncta. Patet consequentia, tum a simili ex adducto exemplo; nam, ut sacramentum poenitentiae remittat peccata oblita, sufficit attritio omnium peccatorum, quamvis non per se, et directe, sed concomitanter illa remittat; tum ratione, quia ideo sacramentum tollit concomitanter peccatum, quia dat gratiam, quae simul necessario excludit omnia peccata mortalia; ergo sacramentum, quod per se et vi sua habet virtutem ad dandam gratiam homini attrito, stante attritione, semper dabit illam, neque efficaciam ejus impedire poterit quodcumque peccatum, sed potius ipsum concomitanter tolletur, cum vo-

luntas ratione attritionis jam non sit ad illud formaliter, aut virtualiter affecta.

9. Et confirmatur a fortiori, nam sacramentum Eucharistiae (et idem est de aliis sacramentis vivorum) quamvis non sit per se institutum ad delendum peccatum cum sola attritione, nihilominus, intercedente bona fide, delet peccatum homini attrito propter virtutem quam habet ad dandam gratiam, ad quam consequitur necessario remissio peccati, saltem indirecte et per accidens, et non sine habitudine ad sacramentum poenitentiae, et cum voto illius; ergo similiter baptismus, quamvis non sit institutus per se ad tollendum peccatum commissum post susceptionem ejus, concomitanter delebit illud ex virtute quam habet ad dandam gratiam homini attrito, indirecte tamen et per accidens, et cum voto sacramenti poenitentiae, respectu illius peccati, quod necessario postea confitendum est; non ergo est necessaria contritio ad hunc effectum; imo neque alia bona fides, aut existimatio contritionis videtur necessaria, quia haec solum exigitur in Eucharistia et aliis sacramentis, ad excusandum peccatum indignae susceptionis sacramenti; hic autem nullum sacramentum denuo suscipiendum est; neque respectu baptismi id esset necessarium, quia per se solam attritionem postulat. Confirmatur secundo, quia si in eo casu necessaria esset contritio ad tollendum obicem, ergo oporteret etiam de peccatis ante baptismum commissis habere contritionem; ergo impediretur quodammodo effectus baptismi, quia non posset vivificare hominem, non prius per contritionem vivificatum, nec posset delere peccata non prius per contritionem deleta, quod supra diximus esse contra institutionem baptismi. Haec argumenta videntur facere probabilem sententiam, quam ejusmodi existimavit Palud. dicta quaest. 3, n. 24, scilicet, in eo casu sufficere attritionem ad tollendam fictionem, dummodo includatur votum sacramenti poenitentiae, respectu talis peccati.

10. *Responsio.* — Nihilominus tamen assertio posita verior, ejusque ratio solidior videtur. Ad principalem ergo objectionem respondetur, verum quidem esse, non posse per baptismum tolli peccata mortalia antecedentia baptismum, quin tollantur etiam sequentia; dico tamen solum baptismum prius susceptum ad hoc non sufficere, nisi juvetur aliquo alio medio, quod per se et in genere suo sufficiat ad delendum peccatum post bap-

mum commissum; hujusmodi autem medium non est sola attritio absque reali susceptione sacramenti poenitentiae; erit ergo necessaria contritio. Ratio autem, ob quam baptismus non sufficit absque alio medio per se sufficiente, est, quia nullum sacramentum habet virtutem ad remittendum peccatum post susceptionem ipsius sacramenti commissum, neque directe, neque indirecte, neque ullo modo; non enim ad hoc sunt ulla ratione instituta; neque ad hujusmodi effectum a Deo acceptantur; sunt enim sacramenta medicinae curativae praecedentium peccatorum et praeservativae sequentium; non tamen fuit conveniens, ut haberent etiam vim ad delenda peccata postea committenda; nam hujusmodi medicinae non adhibentur, donec aegritudo insit; neque in aliquo alio sacramento hujusmodi effectus reperiri unquam potest. Quamobrem non est simile, quod de sacramento poenitentiae adducitur, respectu peccatorum oblatorum, quae indirecte remittit cum sola attritione. Ut enim omittam, non esse hoc certum, sed satis dubium; tamen, eo concesso, non est simile, quia peccatum oblitum supponitur jam commissum ante susceptionem tale sacramentum poenitentiae; et ideo habere potest efficaciam ad tollendum illud, saltem concomitanter; peccatum autem, de quo hic agimus, non erat commissum, quando baptismus susceptus est. Atque eadem responsio est ad exemplum adductum in confirmatione prima; nam Eucharistia non facit ex attrito contritum, nisi respectu peccatorum, quae ante susceptionem talis sacramenti commissae fuerunt.

41. Ad secundam confirmationem Scotus supra significat, sufficere contritionem illius peccati, quod fuit occasio fictionis; et subsequentium peccatorum; dico tamen, veram contritionem necessario extendi, saltem virtualiter et implicite, ad omnia peccata, ut sequenti tomo latius tractandum est, et hoc sensu concedo sequelam, nimirum necessariam esse contritionem universalem omnium peccatorum, etiam illorum, quae baptismum antecesserunt, sive aliquorum attritio praecesserit, sive non; hoc enim nihil refert, ut bene Soto notavit; neque hoc est inconveniens, aut repugnans institutioni baptismi, quia est per accidens, ob necessariam connexionem omnium peccatorum mortalium in ordine ad suam remissionem et gratiae infusionem. Nec vero in eo casu baptismus supponit hominem vivum, priusquam ipsum

vivificet, nec peccatum deletum, priusquam ipsum deleat; sed omnino simul baptismus jam applicatus, adveniente contritione, cum illa dat primam gratiam, et remittit peccata, ut paulo inferius amplius explanabimus.

42. Ad tollendam fictionem peccati commissi in ipsa susceptione baptismi requiritur contritio. — Dico tertio: quando in susceptione baptismi committitur peccatum mortale in ipsa actuali, et indigna susceptione, tunc necessaria est contritio ad tollendam fictionem et consequendum effectum baptismi, etiam si post acceptum baptismum nullum aliud peccatum mortale commissum sit. Haec conclusio est minus certa, quam praecedens, quia de illo peccato sacrilegii, quod in ipsa susceptione baptismi committitur, non immerito dubitari potest, an subsequatur baptismus. Videtur enim potius antecedere, quia peccatum potissimum in voluntate consistit; voluntas autem sic suscipiendi baptismum antecedit susceptionem ejus; ergo illud peccatum antecedit baptismum; ergo sufficit attritio ejus, juxta principia hactenus posita. Vel certe, si dicatur peccatum illud durare usque ad ipsam susceptionem sacramenti, responderi imprimis poterit, id esse verum de peccato exteriori; quod praecise consideratum non satis est, quia culpa formaliter est in voluntate et animo. De interiori autem voluntate actuali non est necesse, quod actu perseveret usque ad instans, in quo sacramentum perficitur; imo moraliter loquendo, frequentius fortasse non ita accidit, praesertim si verum est, requiri actualem advertentiam malitiae, ad actualiter peccandum in interiori voluntate. Denique, ut verum sit etiam internum peccatum actuale durare interdum usque ad consummatam susceptionem sacramenti, inde tamen, ad summum, concluditur, illud peccatum esse concomitans baptismum, non tamen esse consequens ipsum, quia finito baptismo, finitur susceptio ejus; ergo finitur etiam peccatum sacrilegii, quod solum in ipsa susceptione committebatur; ergo ex vi talis peccati nulla ibi est culpa post baptismum commissae; ergo neque est ulla ratio, propter quam ibi requiratur contritio, quia peccatum illud magis videtur numerandum inter ea, quae per se possunt per baptismum tolli, quam inter alia, tum quia est idem numero peccatum, quod ante baptismum inchoatum est, et vix ei additur aliqua malitia ob eam durationem; tum etiam quia baptismus habet efficaciam adversus omnia peccata, quae in homi-

ne invenit, inter quae computandum est illud peccatum, quod baptismum ipsum comitatur. Nihilominus assertio posita est consentanea doctrinae D. Thom. hic, art. 10, ad 2, ubi negat peccatum fictionis tolli per baptismum, sed per poenitentiam; quod etiam indicat August., lib. 4 de Baptismo, cap. 42, ubi significat, fictionem debere tolli per confessionem, scilicet in re vel in voto, quod in contritione includitur. Et idem significant alii auctores citati, neque ullus negat, neque negare potest, illud peccatum sacrilegii esse materiam sacramenti poenitentiae et necessario confitendum. Ex quo principio aperte sequitur, quamdiu peccatum illud in confessione non aperitur, ut per sacramentum poenitentiae re ipsa applicatum deleatur, necessariam esse contritionem ut possit deleri, et consequenter, ut possit fictio tolli et effectus baptismi redire. Consecutio probatur ex dictis, quia peccatum, quod per baptismum non deletur, nec per aliud sacramentum re ipsa applicatum, necessario requirit contritionem ut deleri possit. Atque hinc simul redditur ratio a priori conclusionis, et satisfit rationi dubitandi propositae; nam illud peccatum computatur inter ea, quae baptismum subsequuntur. Quod ita declaratur, quia baptismus in ordine ad suscipiendam, et ad dispositionem ejus, prius natura infundit characterem, quam gratiam; tum quia ad imprimendum characterem nullam requirit dispositionem, quam requirit ad gratiam; tum etiam quia (ut supra dicebam) sicut character baptismalis est potentia passiva ad alia sacramenta et eorum effectus, ita et ad effectum gratiae baptismalis; igitur quando homo ponit obicem gratiae baptismali per actionem sacrilegam, jam intelligitur insignitus characterem baptismali; ergo tale peccatum, prout in re fit, est ab homine jam baptizato, quia est ab homine affecto characterem, et quia sicut prius natura est, baptismum esse, quam causare gratiam, ita prius natura est, baptismum esse, quam actualiter illi ponere impedimentum, ne causet gratiam; ergo hoc peccatum, ut sic, est ab homine jam subiecto clavibus Ecclesiae; per characterem enim subicitur; est ergo materia poenitentiae; et ideo per contritionem necessario delendum est, quando sacramentum poenitentiae non applicatur. Tandem, etiam si peccatum illud consideretur ut concomitans baptismum, per se et ex intrinseca ratione sua habet, ut non possit per baptismum deleri, nec directe, nec concomitanter, quia, ut D. Thom. in praedicto

secundo argumento tetigit, per se et directe includit oppositionem repugnantem effectui baptismi, quia directe, ac per se tollit necessariam dispositionem ad illum, in quo ejus malitia consistit; non potuit autem baptismus directe institui ad tollendum hoc peccatum, cum potius ex sua institutione praerequirat ad suum effectum contrariam dispositionem, sine qua neque illud peccatum, neque aliud delere potest; et eadem ratione non potest illud tollere concomitanter, quia per illud impeditur, ne suum conferat effectum; si ergo hoc peccatum nullo modo potest per baptismum tolli, superest, ut sit necessaria contritio ad illud tollendum; haec enim illatio satis est in superioribus demonstrata.

43. Unde ad rationem dubitandi positam facile patet responsio; dico enim, hoc peccatum posse quidem, in voluntate, temporis duratione antecedere baptismum; tamen ut sic, non existimo indigere alio remedio, sed per baptismum posse tolli, ut concludit ratio facta. Unde, si mihi constaret, aliquem eo tempore et instanti, quo baptizatus est, non actualiter peccasse et priorem malam voluntatem continuasse, censerem, illi sufficere attritionem, per se loquendo, illudque peccatum per baptismum esse remittendum et non esse materiam confessionis; tamen hujusmodi casus non est admittendus in eo, qui sciens et volens et humano modo operans sic baptizatur; et ideo semper indiget contritione, vel sacramento poenitentiae ad hujusmodi obicem tollendum.

44. An id sit dicendum de sacrilegio tantum, non de quovis alio peccato. — Sed quaeres, an hoc sit speciale in peccato sacrilegii commissi indigna susceptione baptismi, vel sit idem dicendum de quovis peccato actualiter concomitante baptismum in ipso tempore et instanti, quo baptismus perficitur. Videtur enim idem esse dicendum; in quam sententiam potest referri Scotus, dist. 4, quaest. 5, quem fere sequitur Gabriel, quaest. 1, art. 3, dub. 3; tamen Scotus non solum de peccato concomitante baptismum, sed etiam de antecedenti idem censet, si tale peccatum fuit causa fictionis, quod nobis supra non placuit; loquendo vero specialiter de peccato concomitante, videtur in eo esse peculiaris ratio, quia jam est peccatum hominis baptizati et subiecti Ecclesiae per characterem; ergo est peccatum subiciendum clavibus, non tantum sub ratione fictionis, sed ut est in tali specie, v. gr., morosae delectationis, vel odii, vel

alterius similis; ergo non potest tolli per solum baptismum. Et confirmatur, quia tale peccatum, ratione suæ specificæ malitiæ reddit indignam susceptionem baptismi, et ponit obicem effectui ejus; unde in illo peccato potest distingui duplex malitia: altera in propria specie, v. gr., odii, vel turpis consensus; altera sacrilegii, quatenus est causa indignæ susceptionis, et hæc posterior fundatur in priori et est veluti circumstantia illius; ergo, si sub una ratione judicatur illud peccatum ordine naturæ posterius caractere et subjectum clavibus et indigens contritione, idem est de illo dicendum sub utraque ratione.

15. *Quid D. Thom. sentiat.* — Nihilominus D. Thom., art. 10, ad 2, de fictione, ait, non remitti per baptismum, sed per pœnitentiam; de cæteris vero peccatis, sive præcedant, sive simul cum baptismo existant, per ipsum baptismum remitti; et ita eum exponunt et sequuntur Cajetanus, Soto et alii Thomistæ, qui consequenter aiunt, non esse necessarium, peccatum illud fictionis materialiter (ut sic dicam) seu in propria specie confiteri, sed solum formaliter seu ratione fictionis; ita ut sit satis dicere, se indigne ac fecte recepisse baptismum, non explicando, an illo eodem momento, quo baptizabatur, concupisceret fœminam, aut odio haberet proximum, vel aliud simile peccatum commisisset. Et huic sententiæ favet August., lib. 4 de Baptis., cap. 12, in fine, cujus verba D. Thom. refert. Atque hæc sententia, speculative loquendo, est satis verisimilis ac probabilis; et ratio differentiae inter fictionem, ut fictio est, et quodlibet aliud peccatum actuale durans in eodem instanti, est de se sufficiens ad fundandam rationem; quæ ex dictis reddi potest, quia sola fictio formalis est, quæ directe opponitur baptismi, et per se ex vi rationis suæ dicit actualem repugnantiam cum effectu illius, et ideo per se etiam est, ut baptismus non habeat vim ad remittendum tale peccatum; reliqua vero peccata ex se non habent, directe repugnare effectui baptismi et obicem illi ponere; sed hoc per accidens contingit ex sola concomitantia temporis. Unde baptismus non habet ex vi sua, ut non tollat hujusmodi peccata, sed solum per accidens ex actuali indispositione voluntatis. Unde etiam fit, ut alia peccata mere concomitanter se habeant ad baptismum et ad effectum ejus vel carentiam illius, nec sint posteriora illo, ordine naturæ, quia nullam rationem causæ, aut effectus habent respectu illius; at vero fictio

formaliter sub ratione sacrilegii et obicis baptismi, quoad effectum ejus, ex natura sua supponit baptismum. Nec refert, quod malitia fictionis seu sacrilegii fundetur aliquo modo in alio actuali peccato, ut tale est in sua specie, quia recte potest intelligi, fundamentum esse prius; id vero, quod in eo fundatur, esse posterius; sicut etiam potest actualis et formalis fictio fundari in solo peccato præterito et non retractato, seu in macula peccati et carentia attritionis, quæ tunc non est novum peccatum actuale, distinctum ab ipso sacrilegio seu formali fictione. Unde intelligitur, malitiam sacrilegii seu fictionis non esse proprie circumstantiam alterius peccati, quod simul concurrit cum baptismo, v. gr., infidelitatis aut odii, etc., sed vel neutrum esse circumstantiam alterius, sed utrumque esse simul tempore, vel potius ipsum peccatum infidelitatis, vel odii, aut aliud simile, esse circumstantiam ex parte personæ operantis, ex qua manat aliud peccatum sacrilegii, quod in hoc consistit, quod persona, carens debita dispositione, voluntarie recipit sacramentum; inde enim fit, ut indigne accipiat, tanto magis, quanto non solum habet carentiam dispositionis, sed etiam pravam dispositionem contrariam, quæ quidem prava dispositio secundum se, seu prout tale peccatum, nullam habet habitudinem ad baptismum, neque ullum ordinem cum illo; peccatum vero sacrilegii, inde subsecutum, directe opponitur baptismi et effectui ejus. Est ergo verisimilis hæc opinio. Dixi autem speculative esse probabilem, quia moraliter vix potest ad praxim reduci; nam vix est moraliter credibile, ut aliquis duret in aliquo actuali consensu pravo, toto tempore quo perficitur baptismus, usque ad instans in quo consummatur baptismus intrinsece, quin etiam post baptismum perfectum in eodem actu aliquo tempore duret; sed in casu, de quo agimus, peccatum illud durat intrinsece usque ad instans perfectivum baptismi; sic enim intelligenda sunt omnia dicta, ut per se constat; ergo moraliter loquendo, tale peccatum durabit aliquo tempore post baptismum; tunc autem inter peccata post baptismum commissa computandum est, quia jam non est tantum præcedens vel concomitans, sed etiam subsequens; et ideo subjectum jam est clavibus Ecclesiæ, et extra sphaeram (ut sic dicam) seu efficaciam baptismi; ergo saltem ratione hujus moralis periculi seu dubii oportebit hujusmodi peccatum confiteri, atque de illo conteri.

16. *Attritio cum sacramento pœnitentiæ sufficit ad tollendam fictionem, etiamsi in susceptione et post susceptionem baptismi peccatum fuerit.* — Dico quarta: si is, qui fecte baptismum accepit, postea actualiter confiteatur et sacramentum pœnitentiæ accipiat, sufficiet illi attritio ad tollendum obicem, etiam si et in ipsa fictione peccaverit et post fictionem multa peccata commiserit. Conclusio est certa et communis omnium, qui tenent, pœnitentiæ sacramentum facere hominem de attrito contritum; nam hoc supposito, attritio illa omnium peccatorum conjuncta cum præcedenti sacramento baptismi et cum præsentis sacramento pœnitentiæ respectu omnium habet vim contritionis. Item quia utrumque sacramentum habet tunc dispositionem sibi proportionatam, ad effectum, qui sibi potest attribui seu respondere; ergo utrumque delebit per se et directe peccata, quæ sibi subjiciuntur; ergo nihil jam tunc est, quod possit baptismi effectum impedire; non enim impedient peccata præcedentia baptismum, quia ipse potest illa delere supposita attritione, si non sit aliunde impedimentum; neque etiam impedient posteriora peccata, quia adest sacramentum pœnitentiæ, quod potest illa delere supposita etiam attritione. Atque ex hac ratione infero, idem esse quancumque cum hujusmodi attritione conjungitur quodlibet aliud sacramentum bona fide susceptum, nam (ut suppono) quodlibet potest facere ex attrito contritum, intercedente bona fide.

17. *Dubium.* — *Ratio dubitandi.* — Sed supersunt circa hanc conclusionem duo dubia explicanda. Primum est, quæ gratia detur hujusmodi homini attrito, ratione utriusque sacramenti, baptismi scilicet præteriti, et præsentis pœnitentiæ; ponamus enim illam attritionem esse ut quatuor; inquirimus ergo, an per utrumque sacramentum detur tanta gratia simul et in eodem instanti, quanta diversis temporibus daretur, si utrumque sacramentum suo tempore effectum suum contulisset, aut (quod idem est), si baptismus cum simili attritione ut quatuor receptus fuisset; nam juxta doctrinam traditam videtur ita esse affirmandum; nam imprimis non est, cur sacramentum pœnitentiæ non conferat integre suum effectum gratiæ, quem conferre potest in subjecto sic disposito; nam actu existit et actu invenit talem dispositionem in subjecto, quando actu ita operatur. Aliunde vero probabiliter dictum est supra, baptismum ita operari, recedente fictione, ac si esset recep-

tum cum illa dispositione, per quam tollitur fictio; ergo dabitur simul tota illa gratia, quæ utrique sacramento respondet. In contrarium vero est, quia hujusmodi homo non est tam bene dispositus ad effectum utriusque sacramenti per illum unicum actum attritionis, quantum fuisset per duos actus similes et æquales, si cum uno prius baptismum recepisset, et cum alio postea pœnitentiam; ergo non recipit æqualem effectum per utrumque sacramentum. Probatur consequentia, quia quodlibet sacramentum majorem effectum confert homini melius disposito; ergo similiter duo sacramenta, quæ simul operantur, fortius operabuntur cum meliori dispositione. Primum autem antecedens probatur, quia non sola intensio, sed etiam multitudo actuum conducit ad meliorem dispositionem moralem; nam si confert ad meritum, cur non ad rationem dispositionis? Item, quia ille, qui plures actus efficit, aliquid amplius ex parte sua præstat; unde plus etiam satisfacit per duas attritiones quam per unam. Et confirmatur, nam alias ille, qui fecte suscipit sacramentum plus peccando et minus laborando, seu minus studiose operando, majorem gratiam consequeretur, quod non videtur esse rationi consentaneum.

18. *Responsio.* — Res certe videtur dubia; mihi tamen imprimis certum est, plus gratiæ dari per illa duo sacramenta simul concurrentia, quam detur per singula cum eadem attritione, quia unumquodque habet suum proprium effectum; neque unius causalitas impedit aut minuit causalitatem alterius; cur enim sese impedirent, cum effectus eorum inter se non sint repugnantes et in subjecto sit sufficiens capacitas ad utrumque simul recipiendum? Deinde non dubito, quin sacramentum pœnitentiæ det totum gratiæ effectum, quem potest dari homini sic disposito per attritionem ut quatuor, quia supponimus, hoc sacramentum recipi cum tali dispositione; nihil ergo illi deest, quominus tota virtute operetur in subjectum sic dispositum; quoniam, et realiter existens operatur, et determinatur actione sua ab actuali dispositione subjecti. Neque enim potest ad hunc effectum minuendum referre, quod quis prius fecte receperit baptismum, et nondum fuerit effectum illius consecutus, aut quod postmodum plurima peccata multiplicaverit. Ita enim in superioribus ostendimus, eandem attritionem ejusdem perfectionis absolutæ ad æqualem effectum præparare hominem, sive plura, sive